C rit. Succus porrò eius quum adſimilis ſit facultatis, hoc eſt, exiccatoriæ & abſterſoriæ, & reliqua iam dicta pulchrè efficere poteſt. Cum melle etiam oculis illinitur, menſesq́ & fœtum appoſitus in peſſo euocat. Sunt qui ipſum præbeant & iis quibus nerui affecti ſunt, ut qui euacuet & deſiccet innoxiè quæ impleta ſunt. Optimũ etiam medicamentum eſt ad iecinoris obſtructiones ſoluendas. Bonum quoq́ lieni indurato foris impoſitum, & nihilo ſecius ſi quis bibere ſuſtinuerit.

EX PLINIO.

Purgat aluum ſuccus Centaurij minoris drachma in hemina aquæ cum exiguo ſalis & aceti, bilemq́ detrahit.

DE CYAMO▸ CAP▸ CXLV▸

NOMINA.

KYAMOΣ Græcis, Faba Latinis dicitur. Officinæ Latinum nomen retinent. Germanis Bonen appellatur.

FORMA.

Sola Faba inter legumina ſine adminiculo nititur, folio carnoſo, Portulacę ſimili, flore criſtato, uerſicolore, partim albo, partim purpureo, atris quibuſdam maculis notato, quas M. Varro lugubres uocat literas: ſiliqua plerunque ſemipedali, fructu intus lato humani unguis effigie, colore non ſimplici, ſed aut fluuo, aut nigro, iam uerò etiam herbaceo & coccineo: radice ſingulari, lignoſa, & capillata fibris. Quæ hic à quibuſdam, quaſi noſtra non eſſet uera Faba, afferuntur argumenta, non tanti momenti ſunt ut confutatione indigeant: conſtat enim noſtram, eas quas ueteres illi adſcripſerunt, habere notas & facultates. Non tamen ne
D gamus in diuerſis terris maiorem aut minorem produci poſſe.

LOCVS.

Paſsim in hortis ſata prouenit. Lætatur loco pinguiſsimo & ſtercorato.

TEMPVS.

Floret æſtate.

TEMPERAMENTVM.

Faba in refrigerando & exiccando ad mediam temperaturam propinquiſsimè accedit. Eſt itaque frigida & ſicca in primo ordine.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Spirituoſa, inflans, concoctu pertinax, inſomnia tumultuoſa faciens. Tuſsi tamen confert, carnesq́ generat. Decocta in poſca, & cum cortice comeſta, dyſenterias & cœliacas fluxiones ſiſtit. Vtilis contra uomitiones in cibo ſumpta. Minus inflat priore aqua in decoctione effuſa. Viridis magis ſtomacho nocet, plusq́ inflat. Farina eius per ſe & cum polenta illita, ex plaga inflammationes mitigat, & cicatrices ad reliqui corporis colorẽ reducit. Mammis in quibus lac in grumos cogitur, & inflammatione laborantibus auxiliat̃, lacq́ extinguit. Cum melle & fœnigrę ci farina furunculos, parotidas ac ſugillata oculorum diſcutit. Cum roſa, thure, & oui albo, procidentes oculos, ſtaphylomata & œdemata compeſcit. Macerata in uino ſuffuſiones & ictus oculorum ſanat. Ad ſiſtendas fluxiones ſine cortice commanducata fronti imponitur. Teſtium inflammationes in uino decocta ſanat. Puerorum pubi illita diu impuberes ſeruat. Alphos exterit. Euulſos pilos ut non nutriantur & graciles fiant, cortices illiti efficiũt. Cum polenta, alumine & oleo ueteri illiti ſtrumas diſcutiunt. Decoctum illorum lanas tingit. Factas ab hirundinibus ſanguinis eruptiones, cortice ablato, Faba qua parte cohæret diuiſa, ſi dimidia apponatur, compeſcit.

EX GALE-

FABA